



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 44. Evangelicorum Synodus Turonii celebrata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

Sæcul. XVI.  
A. C. 1595.

§. XLIV.

*Evangelicorum Synodus Torunii  
celebrata.*

*Thu. l. 114.  
Spond. n. 25.  
Cythraeus in  
Sax.*

Pariter in Polonia circiter quadraginta Ministri, qui se Evangelicos appellitant, exeunte Mense Augusto Torunii in Prussia conventum agebant, cui etiam præter duos Poloniæ Palatinos Miniekensem, & Leczickiensem etiam Vilnensis, Polotiensis, & Rawitfensis urbium Delegati interveniant; insuper suos Oratores Comes Ostrorogius, Kioviensis Palatinus, Volkyniæ, Russiæ, & Podoliæ Senatus, pluresque alii Lithuanizæ Proceres eo ablegabant. Præcipuus hujus Synodi scopus eo collimabat, ut doctrina in Sandomirensi Concilio stabilita, nec non conscientizæ libertas facta conservaretur: cum autem Sigismundus III. Poloniæ Rex ejusmodi conventicula celebrare prohibuisset, nunc quoque Leczickii Palatinum, ut hunc quoque conventum præpediret, eo decernebat: verum Evangelici vilipensa Regis sui auctoritate hanc Synodum esse celebrandam pertinaciter insistebant, causati, quod nec in Regem, nec in Regnum conspirandi animo convenissent, sed unice suas querelas exponere, easque scripto Regiæ suæ Majestati tradere vel-

vellent: de cetero afferebant, quod <sup>Sæcul. XVI.</sup> ipsi jure ex urbe expelli non possent, AC 1595.  
 eo præcipue tempore, quo Judæis, aliisque apertis Christianæ Religionis hostibus aditus permittitur: nihilominus Cujaviæ Episcopus pariter hoc Conciliabulum dissolvi postulabat, ea potissimum ex ratione, quod Toruniensis civitas intra suam Diæcesin esset, & proin absque ipsius consensu, ac venia nullum ibi Concilium habere liceret: verum ipsius rationes æque, ac Regis jussa ab hisce hæreticis flocci pendebantur, Evangelicis semper vociferantibus, quod pro Ecclesiarum suarum rebus conventus habere, ipsis licitum esset.

Præprimis ergo hi in sua Synodo Confessionem Augustanam juxta tenorem, quo illam in Concilio Tridentino exhibere voluerant, anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo elaboratam confirmabant, omnesque unanimi consensu huic confessioni adhærendum statuebant: insuper querelas, quæ ad hanc Synodum delatæ erant, examinabant, erant autem sequentes. I. Tempia ad confessionis Augustanæ Socios pertinentia Cracoviæ, Posnanix, ac Vilmæ ab adversariis everta fuere. II. Conditorum cadavera sepulcris immaniter eruta.

Kk 5

III. Pos-

Sæcul. XVI. III. Posnaniæ templum vi facta captum,  
A C. 1595. ac dirutum. IV. Jesuitæ ex Gallia  
 profugi plebanos suæ doctrinæ addictos  
 in pagis passim instituunt, ut diæce-  
 sanos Procerum Evangelicorum subdi-  
 tos in dominorum perniciem promissa  
 impunitate concitent: porro cum hujus  
 Conventiculi Præcones sibi hasce que-  
 relas dijudicandi jus haud competere  
 crederent, ipsisque remedium oppo-  
 nendi vires deesse scirent, hinc id Regi  
 esse significandum decernebant, hujus-  
 que rei provinciam Ostrorogio Comiti  
 commitebant, dato etiam eidem ne-  
 gotio, ut Joannem Sarium Samosum  
 regni Cancellarium adiret, & quam-  
 vis Catholicæ Religioni addictissimus,  
 & hæreticorum hostis in Religionis  
 causa ab ipsis dissideret, eum tamen  
 pro charitate, qua patriæ tranquillitatem  
 prosequitur, ad pacem tuendam  
 hortaretur, ut conjunctis animis, &  
 viribus contra communem Christiani  
 nominis hostem arma facilius verteren-  
 tur. Verum Rege nihil desuper de-  
 cernente res ad comitia anno sequenti  
 celebranda remittebatur.

§. XLV.

*Variaæ Clementis VIII. Papæ Con-  
 stitutiones.*

Hoc